about 1h in the Afternoon; at which time it was ſomewhat nearer the Earth than the Sun is at its Perigee; the Comet's Diſtance being then (,83) and the Sun's (,98) ſuch Parts, as the Semidiameter of the *Magnus Orbis* is (,100); from which we may have ſome Idea of the Comet's Magnitude; and therefore may ſuppoſe it, at leaſt, equal to the Earth.

Joſeph Betts.

III. *Obſervatio de* Scirrho *Cerebelli*, *ab* Alberto Hallero, *R. S. S. Archiat. Reg. & Med. Prof.* Gotting. *ad* Reg. Soc. *tranſmiſſa.*

Read June 14. 1744.

CErebellum ſedem principii vitalis fecit *Williſius*; et, qui hanc hypotheſin ornatiſſime propoſuit, *Boerhaavius*. Verum, præter plurima, quæ contra nervorum vitalium diſtinctam claſſim faciunt, et præter experimenta capta à cl. *Lapeyronie*, per quæ conſtat vulnera cerebelli inflicta canibus, non continuo lethalia fuiſſe, hanc etiam hypotheſin infirmant morbi cerebelli, ſatis rari, ſed aliqui tamen, etiam maximi, et qui cerebellum pene inutile redderent, qui ætatem tamen tulerunt. Manifeſta certe inde naſcitur ſuſpicio, non adeo, ut *Williſiana* requireret hypotheſis, proximam vitalium cordis nervorum, in cerebello & ſolo, originem eſſe. Quos præterea ſatis conſtat, minima parte à cerebri nervi octavi, et intercoſtalis ramis, ſed à ſpinalibus imprimis provenire, ex quibus, utrumque ganglion cervicale, multo magis, quam à cerebri propagine, provenit.

Ergo

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775).* www.jstor.org

Ergo memoria digna visa est nuperrima in puella mendica observatio. Adlata est misella in theatrum die 21. *Januarii* 1744. cum ante annos fere sex nata fuisse videretur. Multi passim in emaciato corpusculo scirrhi, glandularum mesentericarum, inguinalium, bronchialium.

Cum historiam carotidis externæ, et rami maxime, quem maxillarem internum vocat clar. *Winslowus*, persequerer, in cerebello miri mali mihi apparuit effigies. Lobus ejus sinister pene totus, pertinaciter duræ matri occiput vestienti adhærebat. Incidi tentorium; reperi scirrhum enormem, duarum utrinque unciarum diametro, in quem degeneraverat tota aut medullaris, aut corticalis cerebelli substantia. Uniformiter spissus erat tumor, fibrosus, renis fere ad modum, et scissilis, nullo vase, quæ penitissime repleta erant, in sectione adparente, nulla superstite nota aut cinerei corticis, aut arbuscularum medullarium.

Quæcunque fuerit tanti mali origo, adparet cerebelli mediam partem in hac puella, neque brevi tempore, inutilem fuisse; et victitavit tamen misera, stipemque ostiatim petiit.

Unica parallela scirrhosi cerebelli historia, in stupido puero reperti, legitur in *Actis Parisinis*, 1705. *n.* 13.

IV.